



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

69. Sabb. Septem gladij ignei Matris Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

110 *Sabbato Dom. Sexages.*

nere se peccandi periculis. 4. In rebus sine
stre cadentibus animo deijci, & contristari
5. In actionibus nullo virtutis actu uti, unde
facillimus est lapsus.

*Conf. 3. Verba Domini: Ioan. 17. Pater
sancte, conserva eos in nomine tuo: D. Chrylost. in-
terpretatur: in auxilio tuo, quod semper im-
plorabo: quia stante diffidentia sui, repugnat
lapsus, ut docet Aris noster, Trac. de hac
virtute.*

MEDITATIO LXIX.

Sabbato Dom. Sexages.

Septem gladij ignei Matris DEI.

Videbo SS. Matris Dei cor sicut scutum
septem gladijs fulmineis circum quaque
penetratum. Petam assequi ejus dolores
eique compati.

Aspiciam gladium 1 Offensam DEI: sicut
enim in D. Virginis corde non erat major a-
mor amore divino, sic in ejusdem corde non
fuit major dolor, quam ex offensione divina:
ego autem causa fui dolorum Filij, ergo &
causa dolorum Matris.

2. Gladius. Passio Personæ Dei, non in
Divinitate, sed in humanitate, quæ respectu
Divinitatis fuit sicut pes respectu capitis:
sicut igitur sentit caput, dum percutitur pes,
non quod dolor sit in capite, sed in pede, sic

persona divina patiebatur in natura humana

3. Gladius. Passio Filij, cujus illa fuit Mater miraculosa : quia mansit Virgo : Mater sola, quia sine Patre ; Mater solius, quia Unigeniti sibi simillimi, sui amantissimi,

4. Gladius. Passio Sponsi, qui fuit Pater gratiæ, & filiorum Dei : sicut autem post amorem sui maximus est amor prolis, ita maximus est Sponsi, qui causa est prolis.

5. Gladius. Passio JESU Patris, cujus B. Virgo fuit Filia præcipua, in qua quò major erat erga Patrem amor, eò majori exedebatur dolore.

6. Gladius. Acerbitas Passionis Christi cognita Matri ejus, quæ scivit habitus charitatis maximos in Filio nec unquam otiosos, intellectum acutissimum, quem sequitur voluntas, & appetitus ; scivit causas Passionis, complexionem tenerrimam, iram demonum.

7. Gladius. Passio hominum propter peccata : vidit enim Mater Dei damna generis humani, & satis intellexit, quàm paucis profutura sit tanta Passio. O quanti fuerint dolores Virginis videntis tot perire, & tam multis sanguinem Christi fore inefficacem ! Petam dolorem de peccatis, zelum animarum, & efficacia ad eas juvandas auxilia, & desideria, quod faciam eo affectu, quasi totus mundus per me restituendus esset Deo.

ME